



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. III. De excellenti amore, præstantique pietate, quâ decet nos S.
Iosephvm præ reliquis Cælestibus post Iesvm & Mariam prosequi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

quimus, pro animi certè nostri viribus annitatur, vt, quando post IESVM & MARIAM IOSEPHO est nemo amabilior, nemo magis ametur, nisi par illud, cui primos flores & fructus omnium amorum primo loco debemus. At quoniam mihi sequentibus Capitibus de amore illi debito loquendum est, docendumque, quibus modis deceat amabili IOSEPHO amoris iura persolvere, interiungamus.

CAPVT III.

*De excellenti amore, praestantiq; pietate,
quâ decet IOSEPHVM pra cae-
teris Diuis post IESVM &
MARIAM pro-
sequi.*

ECQUIS S. IOSEPHVM tam amabilem, hunc in IESV & MARIA alterum amoris post Deum scopum, hunc Deo dilectum non amet?

ergo deceptus est IESVS? ergo malè suos amores MARIA collocavit? ergo Dei IOSEPHVM amantis delectus reprehendendus, quem cæteris ardentius amavit? nihil minùs; quin contrarium adstruamus: cùm enim esset tantopere amari dignus, poterántne rectius amores illi suos vlli impendere, vllum in amando præferre IOSEPHO?

Id modò agitur, vt illorum exempla quocunque passu sequamur, & amemus, quod & quâ ratione illi amarunt, in amorem pietatemque, ceu amoris fructum, erga S. IOSEPHVM præ cæteris intenti. Cur enim Deus tot illum amandi causis plùs quàm alios omnes ornârit, nisi vt maiorem nobis in eum propensionem ingeneraret, nosque ad amorem eius meritis, quibus alios omnes quantumuis amabiles antecellit, parem alliceret? Cur tantopere illum vltra omnes alios deperijt, nisi vt nobis viam præiret, ac erudiret, ad eum amorem esse nobis enitendum, quem illi ipsemet indulxit?

Atque

Atque ita in scholâ diuini amoris probè sumus instituti, clareque edocti S. IOSEPHVM præ reliquis Diuis post IESVM & MARIAM amandum, magnoque ac peculiari pietatis sensu colendum. Neque interim negamus, debere aut posse nos magno studio ac affectu alios Cælites venerari; quis enim dubitat? sed hoc contendimus, S. IOSEPHO, meritorum, gradus illius, quem in cælis & terris tenet, amoris, quo à IESV & MARIA fouetur, habitâ ratione alios decere postponi. Neque inficiamus, in domo Dei Diuos esse sanctitate & ordine inter cæli Proceres præcipuos, vt est S. Ioannes Baptista, qui ipsius Dei Filij oraculo inter natos mulierum maximus habetur, vt sunt SS. Apostoli Ecclesiæ columnæ, SS. Angeli Cæli Empyreï clarissima sidera, & alij nonnulli: hæc nemo impugnat. Sed in memoriam reuocandum nobis est, quòd, vt Gerson doctrinâ & pietate celebris auctor ait, primam Hierarchiam Pater, Filius, & Spiritus sanctus

C S,

con-

constituat; alteram à IESV, MARIA, & IOSEPHO effici; cæteros omnes illis inferiores esse, Possunt quidem Diui illi primas tenere, sed intra Ecclesiæ fines, & amoris priuatim in eos concepti leges; non autem in diuino hypostaticæ vnionis negotio, & Verbi hominem induti mysterio, quo ij tantum continentur, qui proximius IESV CHRISTI personam attigerunt, vt est MARIA & IOSEPH; qui idcirco, vtpote circa tam venerandum tantæque dignitatis ministerium occupati, seorsim ordinem & classẽ quandam longè cæteris eminentiorem producunt.

Veruntamen, vt hoc argumentum satis magni, vt opinor, momenti clariùs illustremus, eius Hierarchie, atque Ordinis, qui non nisi IESVM, MARIAM & IOSEPHVM comprehendit, originem petamus. Deus itaque, qui admirandus est in operibus suis, non satis habuit, hominem ad imaginem & similitudinem suam efformare; sed insuper voluit ad Trinitatis increatæ exemplar,

plar, creatam Triadem in tribus admirandis personis IESV, MARIA & IOSEPHO condere, quæ ad Verbi humanâ carne vestiendi mysterium deligebantur; & ita quidem, vt, quemadmodum tres diuinæ Triadis personæ omnes in SS. Incarnationis mysterio suam operam contulerunt, ita in eodem voluerint quædam stupenda Trinitatis illius vestigia extare; siue dum in vnâ Verbi diuini Personâ subsistere tres IESV substantias, Animam, Corpus, & eius Diuinitatem inssere: siue dum incredibile amore & necessitudine omnino insolitâ tres illas Personas, quæ in terris pro eodem negotio laborârunt, IESVM videlicet, MARIAM & IOSEPHVM colligârunt, eâ quidem ratione, vt MARIA sit Patris imago; IESVS CHRISTVS in humanâ naturâ Filij personam sustineat, eo prorsus modo, quo in cælis in Personâ Verbi Filij gradum tuetur; IOSEPHVS vero Spiritum sanctum, vt SS. Virginis.

C 6

Spon-

a Gerson de Natiuit. B. Virg.

Sponsus, representet: nisi malis, id nomen eum titulo illius amoris tueri, quo IESVM & MARIAM complectebatur; quandoquidem vtriusque cura ipsi incumbebat.

Age nunc, à Triade creatà, quam Gerson venerabilem & admirandam appellat, ad amorem illi debitum transeamus, siue is simul omnibus Personis, siue cuilibet separatim, IESV, MARIÆ, aut IOSEPHO deferatur. Vides illas certè tanto honore affectas; cur non tantundem iisdem amoris impendas? si enim amor meritorum mensuram imitatur; quid post Triadem increatam potest amari nisi Trinitas creata? quid post diuinas tres Personas Patrem, Filium, & Spiritum sanctum diligi, nisi tres amabilissimæ Personæ IESVS, MARIA, IOSEPH? Quam enim reprehensionem ille non incurreret, qui amorem pietatemque suam ita institueret, vt Patrem ac Filium amaturus pro tertio Angelorum quendam Principem substitueret, sancto Spiritu
in

in ordinem redacto, & inter res minori impendio amandas ablegato? An non passim omnes tam præposterum cultum damnarent, dicerentque, eum, dum tertiæ illi Personæ exquisitiorem amorem denegat, maximo eandem honore, qui cadere in illum potest, defraudasse, quem tamen inter nos ut suprema charitas fuisset promeritus: cum certò illi constare debeat, nemini posse honoris plus exhiberi, quam amando, mentemque totam eius amorì deuouendo. At quemadmodum nemo est, qui amores, tribus diuinis Personis primò omnium consecrandos, disiungere sustineat; ita nemo sit, qui piam propensionem cultumque creatæ Triadì tribuendum à tribus Personis aliouersum traducat; seruato nihilominus hoc ordine, ut post IESVM MARIA, post IESVM & MARIAM IOSEPHVS ametur. Sed ut IESVS ac MARIA summo loco diligatur, ac tum Diuorum aut Angelorum aliquis, cuiuscunque fastigij, proximas teneat, idque damno

S. IOSEPHI, cui tertius ordine locus in animorum nostrorum sacrario debetur; res est, quæ nulli vnquam in mentem veniat: adeò est à communi sensu ac ratione, quam hoc loco adduxi, aliena. Atque eâ de causâ plura non addam, omnia mihi dixisse visus: omnes nimirum amoris ac pietatis nostræ præcipuos conatus post IESVM & MARIAM debere in S. IOSEPHVM ferri: Cælitates Angeliq̃ue omnes libenter hunc illi locum cedent; vt qui clarè perspiciunt, quid Sponso Dei Matris, Patri putatitio Seruatoris, tertiæq̃ue Personæ in creatâ stupendaq̃ue Triade debeatur.

CA-